

Hierin 7 Tafeln.  
26. Juli 1899.

*Ex libris*

Hunnii, Arnstadt.  
(Thuring.)

1884.



12

DE  
**SIGNO**  
**SPASMI PERIPHERICI**  
**IN FEBRIBVS CONTINENTIBVS**

---

EX AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.  
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR.  
SODALI

**PRO GRADV DOCTORIS**

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XXXI. MAII A. O. R. CIOLOGGELXV.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR

**IOANNES FRANCISCVS ALBERTVS MOELLER**  
WARSTEINO - COLONIENSIS.

---

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.

de  
SIGNO  
SPASMI PHRIPHERICI  
IN HERIBUS CONFINIIS

---

EX VACUORUM  
HERIBUS MEDICAM ORBEM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESEDE

D. PHILIBO ADOLPHO BOHEMERO  
M.DC.XXVII.

PRO GRADU DOCTORIS

SOCIETATIS SOCIALEMANO  
D.M.D.XXVII.

JOANNES ERNSTER VPHERRA MORTER

QVNT M V R O ORNATISSIMO  
**IO. ANTONIO ARNOLDO**  
**MOELLER**

CIVI AC MERCATORI  
APVD LIPPIENSES SPECTATISSIMO  
FRATRI SVO NVMQVAM NON PERCARO.

(Accubat riddle donec attingat) , iusta iurisq; mire  
tum impudet, ciborum iusti, mentis iustitiae, pia  
et iustitia, oll; en; illucq; rebusq; iusti  
debet esse iustitia, iustitia, iustitia, iustitia  
et iustitia, iustitia, iustitia, iustitia, iustitia, iustitia

**N**on e longinquo mihi nunc petendae erunt ratio-  
nes, quibus permoueor, hoc qualemcumque eru-  
ditionis  
A 2

*ditionis medisae specimen publicum NOMINI TVO  
inscribere. Nam praeter id officii genus, quod  
me natura erga TE ideo obseruare iubet, quia  
frater meus es, isque vero amore dignus, ius TIBI  
insuper acquisuisse videris, nunc a me postulandi  
publicam aliquam honoris testificationem. Ab obitu  
enim parentis nostri, (quanta prob dolor iactura!)  
tam praeclare curam mei habuisti, rebusque meis  
ita liberaliter prospexit, ne illa incommoda per-  
ciperem, quae ex iactura optimi parentis redire so-  
lent ad filium, qui in Academiis studiorum caussa  
commoratur. Qum itaque TVO in me studio  
ac benevolentiae singulari tribuendum esse putem,  
quod vita mea academica nunc laudabiliter finiri*

*pos-*

possit: nonnè hominis ingrati maculam mihi con-  
traherem, nisi hac ipsa occasione, qua statutis acade-  
micas satisfacere contendō, ita quoque vterer, ut meo  
simul in TE officio satisfacere videar? Atque ita  
TIBI nunc iam offero, FRATER CARIS-  
SIM E, munusculum litterarium in publicum quod-  
dam honoris gratique animi mei erga TE docu-  
mentum; illudque eo animo TIBI offero, quem  
exspectare licet ab homine ingenuo! Seruet TE  
iam DEVS T. O. M. una cum FAMILIA CA-  
RISSIMA TVA, omni felicitatis genere cumu-  
latissimum per longam annorum scriem! Quod deni-  
que restat: abs TE maiorem in modum peto, ut in  
posterum quoque amore TVO ac benevolentia me

A 3

pro-

*prosequaris, persuasumque de me habeas, fore, ut  
TE TVOSque per omnem vitam meam vere  
amem, certoque perseverem*

## NOMINIS TVI

Ser. Halae ad Salam  
die xxv. Maii M<sup>DC</sup>C<sup>LXV</sup>.

obseruantissimus cultor  
IO. FRANC. ALBERTVS MOELLER.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**SIGNO SPASMI PERIPHERICI**  
**IN FEBRIBVS CONTINENTIBVS.**

§. I.

*Instituti enarratio.*

Morbi in genere per signa sua cognoscuntur,  
eorumque cognitio talis admodum neces-  
saria Medico est. Nam quo magis meden-  
tium aliquis cognitione ista destituitur:  
ille eo minus sufficiet ad sanandum; siquidem ad hoc  
recte perficiendum inter alia requiritur, ut antea de eo  
constet, cuius genii id sit, quod in casu obuio sanari  
debet.

debet. Alias enim omnis labor in curationibus morborum vel plane irritus erit, saepiusque nociuus vitae aegrotantium, vel si etiam res feliciter successerit, caecae tunc magis fortunae tribuendus, quam arti applicatae. Atque huic cognitioni, praeter alia principia, accuratae morborum definitiones inseruire poterunt. Inter hasce meditationes mihi in mentem venit, me operaे pretium facturum esse, si de spasmī peripherici signo in febribus continentibus nunc differuerim, quum me iam ex statutis Academicis oporteat, pro gradu Doctoris legitime impetrando, eruditionis meae specimen quoddam publicum edere. Nec indignum hoc mihi fore videbatur argumentum specimine inaugurali; quia nonnullis dubia esse videtur spasmī peripherici in febribus continentibus existentia, neque tamen parum interest, si de huius spasmī signo in istis febribus tam certo constare possit, quam in reliquis febrium generibus. Quod ut iam a me nunc fiat, omnem operam dabo. Tu vero, L. B. aequi bonique consule meditationes meas de arguento, ad disputandum sibi impræsentiarum selecto, iam iam proferendas.

§. II.

*in febribus continentibus.*

9

§. II.

*Quid per spasmum periphericum intelligatur?*

*Spasmi peripherici* nomine venit ille spasmus, qui generatim vniuersae cuti inest; siue a quo peripheria corporis exterior comprehenditur.

§. III.

*Spasmi peripherici possibilias.*

Spasnum in genere ad morbos partium ex fibris compositarum pertinere, ex Pathologicis satis constat. Sed Anatomia commonstrat, cutim, tamquam velamentum illud, quo natura perimetrum corporis obtegere voluit, inter alia constare ex fibris et vasis omnis generis. Quare iam fieri poterit, ut ibidem fibrae iusto magis contrabantur, quam cum statu sanitatis congruit, siue quod periinde est, ut spasmus periphericus suboriatur (§. anteced.).

§. IV.

*Illi gradus possibles.*

In Pathologicis euictum datur, quod pro ratione vis, quae inest caussae morbi, eiusque diuersa relatione ad individua aegra, morbus eiusdem speciei in uno aegrotante compareat ad maiorem gradum, in altero ad minorem. Atque hoc imprimis de spasmis praedicare

B

iubent

iubent obseruationes. Vnde etiam consequens erit:  
*spasmum periphericum diuersi gradus possibilem fore.*

## §. V.

*Tria febrium genera.*

Quidquid de febrium distributione in sua genera dici solet, illud sequenti fundamento innititur. Edocuit nempe obseruatio, *febrium quasdam* intra illud tempus, quo plenarie soluuntur, ratione vehementiae symptomatum suorum imminui; *alias* vero intra tempus plenariae suae solutionis ratione symptomatum suorum cessare; *alias* tandem a sui ortu cum symptomatum suorum vehementia vsque ad sui decursum perseuerare. In *casu primo* dicitur esse *febris continua*; in *casu secundo* *intermittens*; in *casu denique tertio continens*, siue *continua non remittens*.

## §. VI.

*Conditio, sub qua spasmus periphericus in febre continentem possibilis.*

*Si de febre continente probari potest, quod ibidem numquam deficiat cauſa efficiens spasmī peripherici: tunc etiam necesse erit, ut spasmus iste in febre continente producatur. Nam extra omne dubium est, quod, posita cauſa efficiente sufficiente, poni quoque debeat effectus. Quodsi itaque*

que tibi certo constiterit, febrem continentem non carere causa effidente sufficiente spasmi peripherici: quid quaeſo obſtabit, quo minus etiam spasmus periphericus ibidem producatur?

§. VII.

*Quid inde ratione signi spasmi peripherici in eadem febre sequatur?*

Producto morbo, producuntur simul multi alii effectus in corpore aegrotante, iisque sensibus satis conspicui; id praecipiente Pathologia. Quia vero ab effectu morbi ad huius quoque existentiam tuto colligere licet: sequitur, fieri posse, ut spasmus peripherici effectus quidam in febre continente comparentes pro signo eiusdem spasmis habeantur.

§. VIII.

*An spasmus periphericus in febre continente discrepet ab illo, qui in febre continua aut intermittente adeſt?*

Febris continens peculiare sui genus et diuersum ab illo constituit, quod febrium continuorum ac intermittentium nomine venit (§. V.). Constat praeterea ex Pathologicis, quod haec inter se discrepantia febrium genera cum singulis suis speciebus multum quoque inter se differant ratione cauſae; siue ad huius qua-

litatem, siue quantitatem, siue denique sedem, quem eadem occupauit in corpore febrentis, respicias. Necesse igitur erit, *vt, si quis spasmus periphericus in febre continente adfuerit, ille ab eo quoque differre debeat, qui sub febris cuiusdam continuae aut intermittentis inuasione prodire solet;* siquidem in genere huius quoque spasmi gradus diuersi possibles sunt (§. IV.).

## §. IX.

*Quid inde sequatur?*

Quare erroneum ille iudicium fert de spasio peripherico in febre continente, qui eius existentiam ideo in dubiam vocandam, aut prorsus negandam esse opinatur, quia idem spasmus se non ad eamdem rationem habet, prout fieri solet in febre continua aut intermittente (§. anteced.).

Nam graduum differentiis non tolluntur morborum species.

Quod inter alia satis innotescit, eundo per exempla. Ita ex solutione continui recente ac cruenta, quae in parte aliqua corporis humani suboritur, vulnus ibidem adesse in genere aestimatur, postposito gradu vulneris in eius notione generaliter exprimenda. Ut ita ridiculum foret, dicere velle, hoc vulnus non esse, quia exigui tantum ambitus, vel modo in superficie externa partis cuiusdam est; illud vero hoc nomine insigniendum esse, quia extensionis admodum notabilis est, vel in profundum magis vergit: quamuis utrobique solu-

tio

tio continui recens ac cruenta adesse deprehendatur. Quum regius dixeris, in casu utroque adesse quidem vulnus, sed paruum in primo, magnum vero in secundo. Quod ut similiter se feret etiam habet cum aliis morbis, ita etiam cum spasmo peripherico; utpote cuius quoque gradus diuersos possibiles esse, ex §. IV. apparet. Neque praeterea desunt aliae huius spasmorum in febribus continentibus differentiae, pertinuae ab harum febrium causa et tempore invasionis. Namque hoc momento se febrium continentium genus a reliquo distinguit; sicuti id infra suo loco constabit.

## §. X.

*Febrium continentium species.*

Pro duratione temporis, quo febres continentes ad sui decursum in casu obuio utuntur, illarum species constitui solent. Docuit vero obseruatio, quod tria momenta hic tantum annotanda occurant. Harum nempe febrium *quaedam* intra viginti quatuor horas decurrunt, dicunturque *ephemerae simplices*, siue *diariae*; *quaedam* vero usque ad integrum septenarium extenduntur, nomen *febrium continentium*, siue *synocharum in specie sibi vindicantes*; *quaedam* denique serius quidem, quam *ephemerae simplices*, citius tamen, quam febres continentes, per eminentiam ita dictae, finiuntur, vocanturque *ephemerae plurium* dierum.

## §. XI.

*Subiectorum conditiones in genere ad febrem continentem.*

Quod ad illas conditiones corporis in genere attingit, sub quibus febris quaedam continens in conspectum prodire solet: tunc ratione huius momenti sequentia potissimum ex obseruationibus notare conueniet. Non alia subiecta febribus continentibus obtemperare coguntur, quam illa, quae nimia sanguinis copia gaudent, ac quibus insuper accedunt caussae, sanguinem valdopere commouentes. Hae caussae, teste experientia, esse solent: vehementia corporis exercitia; diurnae obuersationes sub sole feruente, aut aliae diu protractae commorationes in conclauibus vel locis aliis nimis calidis; animi pathemata, praecipue ira; spirituorum vel medicamentorum admodum calefacientium abusus; vigiliae supra modum excedentes; subitanee corporis valde calentis refrigerationes; vel immodicæ potus frigidi ingestiones in corpus hominis, cui nimiae humorum ebullitiones modo subortae sunt.

## §. XII.

*Pulsus conditio in febre continente.*

Ad pulsus frequentiam ac velocitatem, tamquam commune quid in omni febre, accedere insuper obseruatur

uatur illius magnitudo in febre continentē. Quām pri-  
mum vero larga sudoris aut sanguinis profluia subo-  
riantur; vt pote quo excretionum genere febres conti-  
nentes salutariter solui solent: actutum pulsus a magni-  
tudine sua remittit, febris cessat, aegerque pristinae  
restitui solet sanitati.

### §. XIII.

*Cauſſa febrium continentium, in genere.*

Ex §§. XI. et XII. haud immerito colligere licebit:  
*febrium continentium in genere cauſſam redire ad plethoram, ſupra  
modum commotam.*

*Confer. h. l. illuſtr. BÜCHNERI fundam. Patholog. ſpecial.  
ſect. II. cap. I. nec non illuſtr. LUDWIGII Institut. med.  
clin. P. I. Sect. III. item illuſtr. b. m. IVNCKERI Conſpect.  
med. theoret. praet. Tab. LXI. et LXII.*

### §. XIV.

*De cauſſae ſpasini peripherici exiſtentia in febre continentē  
generatim.*

Febres continentēs pro ſui cauſſa agnoscunt ple-  
thoram, eamque valdopere commotam (§. anteced.).  
Hinc etiam neceſſe erit, vt hic non deficiant effectus  
illi, qui a ſanguinis copia excedente produci solent in  
cor-

corpore. Constat vero ex Pathologicis, in corporibus plethoricorum inter alios effectus perquam faciles esse vasorum distensiones et stases, quae ibidem oboriuntur. Pone, id iam fieri in vasibus magis internis: necessarius tunc quoque erit spasmus periphericus; utpote quem sub conditione modo proposita prodire in corpore humano, ex principiis Pathologicis satis certo constat, obseruationibus in idem passim consentientibus. Ex quibus adeoque conficitur: *non desiderari in febribus continentibus caussam spasmo peripherico producendo sufficientem.*

### §. XV.

*Quid inde sequatur.*

Rebus sic comparatis, legitima haec iam erit consequentia: *non esse scilicet dubitandum de spasmi peripherici existentia in febribus continentibus* (§§. VI et XIV.). Alias enim concedi deberet, quod posita caussa, poni nequeat effectus, per illam possibilis; id quod vero rationi repugnat.

### §. XVI.

*Obseruata quaedam circa febres continentet.*

*Illust. BÜCHNERVS de febre synocha* annotauit, quod ea ordinarie inuadere soleat cum leuissima ac vix notabilis horripilatione, non numquam vero cum horripilatione satis graui et

et longius protracto frigore. Confr. Ej. fundamenta Semiolog. med. Part. II. Sect. II. Cap. I. §. I. nec non Patholog. special. Sect. II. Cap. I. §. IX. Atque eiusdem quoque sententiae est ill. b. m. HOFFMANNVS in Med. Rat. Systemat. T. IV. Sect. II. Cap. I. §. IV. Celeber. BOERHAAVIVS in Aphorismis de cognoscend. et curand. morbis §. 575. de omni febre a caufa interna orta, edoctus ab obseruationibus, in genere praedicat, illam primo incipere cum sensu frigoris, concussio-  
nis, horripilationis, maiori, minori, breui, diurno, extero, interno, pro varietate subiecti, cauffae, febris ipsius. Sine dubio id quoque de febrium continentium genere praedicare licebit. Docet idem necesse esse perill. L. B. de SWIETEN in Tom. II. Comment. ad hunc modo citatum aphorismum, ita eloquendo: Quartanam plerumque validum et diuturnum frigus in paroxysmi initio comitari solet; in ephemera febre incipiente leuiscule frigoris sensus saepe tantum percipitur. Pertinet vero febris ephemera ad febrium continentium genus, quae eidem, tamquam species peculiaris subest (§. X.). Porro. Ill. b. m. I V N C K E R V S in Conspect. med. theoret. pract. Tab. LVI. de febre ephemera tam simplice, quam plurium etiam dierum, et Tab. LVII. de febre synocha afferit, has quidem febres sine ullo frigore aut horrore inuadere, numquam vero ibidem desere laffitudinem membrorum admodum notabilem, et anxias, oppletiuas, suspicio-  
osas, suffocatiuas angustias, vna cum tensionibus dorsi et ar-

C

tuum

*tuum spasmodicis, molestissimis.* IO. FERNELIVS dicit,  
*quod aegrotantes ex febre ebemera nullus aut admodum leuis*  
*borrō initio fatiget; sed manifestius fiat hoc incommodi genus in*  
*synocho imputri.* Vid. Eiusd. Vniuers. Med. Lib. IV. de febribus  
*Cap. III et IV.* LAVR. IOUBERTIVS affirmat *cutis densitatem in diaria* ab iis facile deprehendi, qui tactum ha-  
**bent exercitatum; et synochum non putrem praecedere corporis totius laſſitudinem et membrorum fere confractiōnem.** Conf.  
*Eiusd. Op. Med. Libr. II. Cap. II et III.*

### §. XVII.

*Exponitur iam signum spasmī peripherici in febribus  
 continentibus.*

*Frigoris vel horripilationis sensus, quem in febribus*  
*continentibus prodiisse obseruationes docuerunt* (§. anteced.), *signum esse poterit spasmī peripherici, in hoc febrium*  
*genere suborti.* Spasmus enim periphericus nihil aliud est,  
*quam spasmus ad vniuersam cutim relatus* (§. II.). Hinc  
*necessē erit, vt eodem oberto, cutis aequē, ac va-*  
*forūm huic intertextorum fibrae iusto magis contrahantur* (§. III.). Vnde iam efficitur, *vt sanguinis influxus*  
*in vasa cutis impediatur; siquidem ad arterias ibidem*  
*constrictas sanguis parcus adire, atque e venis cutaneis*  
*constrictis ad loca magis interiora corporis citius*  
*refluere debet.* Quoniam vero calor in partibus solidis,

vt

vt in Physiologia traditur, a sanguinis influxu, in illas decenter facto, proficiscitur: sequitur, omnino fore, vt calor in partibus externis deficere videatur, sanguinis aditu ad illas impedito. Quod iam quia fit a spasmo peripherico (per anteced.), sensus quoque modo frigoris, modo horripilationis, pro gradu diuerso huius spasmorum, necessarius erit. Ex quibus igitur videre licet, frigoris aut horripilationis sensum in febribus continentibus prodeuntem, ad effectus spasmorum peripherici satis manifestos pertinere, eosdemque ideo signum huius spasmorum esse (§. VII.).

## §. XVIII.

*Idem continuatur.*

*Lassitudo membrorum, angores cordis, respirationis oppressiones, dorsi tensiones et artuum spasmoticae affectiones molestissimae, tamquam incommoda in febribus continentibus obseruata (§. XVI.), spasmorum peripherici non deficientis in eodem febrium genere signum tibi suppeditare poterunt. Praesente enim spasmo peripherico, totus exterior habitus corporis nimis constringatur, oportebit (§. II.). Vnde iam necessaria erit vis inertiae, quae motui voluntario membrorum opponitur, lassitudinis sensum ibidem productura. Sed quia etiam ista constrictio fibrarum, quae in spasmo peripherico contingit, se quoque extendere*

C 2

poter-

poterit ad fibras arteriarum ac venarum cutanearum (§§. II et III.): necesse quoque erit, vt e vasis periphericis venosis sanguis citius ad cor refluat, in arteriosis vero resistentia quaedam nascatur, liberum sanguinis aditum ibidem impediens. Quo facto, sanguis tum magis coaceruabitur circa cor, prouenient inde in eius auriculis et ventriculis nimiae distensiones; hinc praecordiorum anxietates, respirationis incomoda varia; vt pote quae in febribus continentibus ob plethoram, tamquam earum caussam (§. XIII.), ad gradum satis conspicuum euenire poterunt. Ex quibus iterum satis clare apparet, nunc modo propositos effectus, qui in febribus continentibus sensibus obueniunt, a spasio peripherico dependere, consequenter pro eiusdem quoque signo haberi posse (§. III.). Quando vero contigerit, vt in eodem febrium genere tensiones dorsi atque artuum spasmodicae molestiae proueniant: tunc multo minus de spasmī peripherici signo dubitandum erit. Satis liquidam inde iam fore puto propositionem.

## §. XIX.

*Idem porro.*

*Cutis densitas, totiusque corporis lassitudo et membrorum fere confractio, cœu phænomena in febribus continentibus depre-*

deprehensa (§. XVI.), signum quoque esse poterunt spasmī peripherici, qui in ipsis febribus prodit. Massa enim aliqua sub arctius volumen redacta, maiorem in eadem nasci densitatem, constanter obseruare licet. Sed ut iam simile quid in cute quoque sub spasmō peripherico eueniāt, necesse erit. Hoc enim spasmō oborto, cutis debet constringi (§. II.), eoque modo in arctius volumen cogi, consequenter etiam densior fieri. Ad latitudinem vero totius corporis et membrorum fere confraktionem quod attinet: nihil impedit, quo minus quoque iste sensus incommodus spasmō peripherico tribuatur. Nam facta circa corticem exteriorem corporis constrictione, quippe quae sub spasmō peripherico necessaria ibidem erit (§. II.): non poterit non inde etiam fieri, ut motus voluntarius membrorum difficilior reddatur, totum corpus lassescat, non secus, ac si membra aegrotantium confracta esse videantur; hic imprimis concurrente plethora, ut febrium continentium caussa (§. XIII.). Vnde denuo perspicuum esse poterit, quod indicatos in propositione effectus, sensibus obuios in febribus continentibus, a spasmō peripherico deriuare, eosdemque igitur loco signi huius spasmī, quo dictum modo genus febrium non destituitur, aestimare liceat (§. III.).

## §. XX.

## S e b o l i o n .

Satis certa haec iam esse principia sine dubio mihi quisque perquam facile concedet, quibus impraesentiarum usus sum, ad deducendum inde signum spasmi peripherici in febribus continentibus. Nullum enim aliud principium cognoscendi in doctrina pathologica illo certius esse potest, quod sui originem debet accuratis observationibus atque ex iisdem recte deriuatis ratiociniis. Atque hanc principiorum indolem hactenus a me disputata probant. Nisi igitur e re mea nunc quoque fore iudicarem, hucusque prolatis ea insuper addere, quae illis maiori illustrationi cedere possent: hic iam finienda esset dissertatio; quum argumentis haud incongruis supra probatum sit, non destitui nempe febres continentis signo spasmi peripherici, eoque modo id expletum sit, quod instituti ratio a me postulabat (§. I.). Respicient vero ista momenta, quae iam in §§. sequentibus proponentur, partim tempus, quo spasmus periphericus in febribus continentibus obseruari debet; partim difficultates quasdam circa illius obseruationem; partim definitionem febris in genere; partim denique id, quod ad usus praticos inde transserri poterit.

## §. XXI.

§. XXI.

*De tempore commodo obseruandi spasmum periphericum in febribus continentibus.*

Febres continentes communiter circa diluculum inuadere obseruantur. *Confr. illustr. BÜCHNERI fundam. Semiol. med. Sect. II. Cap. I. §. I.* Eo igitur tempore spasmum periphericum in his febribus obseruare conueniet; dum huius spasimi phaenomena in febribus continuis aut intermittentibus sub earum inuasione vel maxime conspicua sensibus fieri solent, nec vlla ratio adest, vnde impeditatur, quo minus idem tunc quoque eueniat in febribus continentibus.

§. XXII.

*De difficultatibus circa obseruationem huius spasimi in febribus continentibus.*

Perquam breuis porro durationis est in febribus continentibus spasmus periphericus; eumque praeterea mox inseguuntur complura alia incomoda corporis, aegrotantibus ex hoc febrium genere mirum in modum acerba. Satis hoc probant obseruationes; vtpote ex quibus constat, horripilationi statim succedere aestum grauissimum, molestissimos capitis dolores, aurium tinnitus et susurrus, mentis perturbations atque plures alias satis fonticas afflictiones. *Confr. illustr.*

*illistr. BÜCHNERVS l.m.c.* Haec iam incommoda et aegro, et adstantibus tanti videntur, vt de iis solum, quia pro acerbissimis habentur, conquerendum esse iudicent erga Medicum, ad sanationem morbi vocatum; neglectis illis in corpore aegrotantis mutationibus, quae sub incipiente febre a spasmō peripherico prouenire, saepiusque ad momenta quaedam perdurare modo solent, nec tantopere conturbare aegrū ac adstantes. Quibus ita comparatis, non tam facile erit, spasmum periphericum in febribus continentibus obseruare; quia id in genere difficultis obseruationis esse solet, cuius existentia vix intra momenta quaedam continetur, atque ubi statim in scenam prodeunt longe alia phaenomena, quae omnem fere attentionem Medici obseruantis in se conuertere valent: prouti id fieri posse, ex iis fatisclare eluescere puto, quae nunc modo prolata erant.

### §. XXIII.

Quare iam regulas sequentes ex §§. XXI et XXII. deducere licebit, utiles ad spasmī peripherici in febribus continentibus obuii phaenomena obseruanda.

I. Primo mane comparendum est ante strata aegrotantium ex febribus continentibus; quia illo tempore hae febres inuadere, simulque phaenomena spasmī peripherici tunc prodire solent. Qui vero idem quoque alio tempore effici posse sentiret: non fecus profecto foret, ac solem orientem circa tempus vesperascens obseruare velle.

II. An-

II. *Animum unice directum ad rem afferat, quam sibi obseruandam proposuit Medicus:* alias enim facile fieri poterit, vt hic praeteruideantur phaenomena spasmi peripherici, vtpote quae admodum breuis durationis sunt, eaque mox insequuntur longe grauiora incommoda, de quibus aegri ac adstantes magis conqueri solent erga Medicum, vt ille potius ad prolatas querelas attendat. Habitu obseruandi hic omnino opus est, ne inter strepitus dolentium Medici obseruantis attentio perturbetur.

### §. XXIV.

*Quid ad febris in genere definitionem inde colligatur.*

Ea iam probe consideranti, quae hucusque per tractata sunt, non poterit non innotescere, *adessè omnino in febribus continentibus spasnum periphericum, quo illae aeque inuidere solent, ac idem in febribus continuis aut intermittentibus fieri satis constat;* hic nihil obstante spasmi huius differentia, ratione gradus vel durationis. Praeter febres vero continentes, continuas ac intermittentes, non dantur earum plura alia genera (§. V.). Hinc *in omni febre,* cuiuscumque generis illa etiam fuerit, *aderit spasmus periphericus.* Hunc insuper *spasnum in omni febre insequi constanter obseruatur pulsus celer et frequens.* Ut itaque *spasmus periphericus una cum pulsu celeri et frequente, qui illum insequitur, ad eas mutationes pertineat, quae constanter corpori febrenti inesse dependunt.*

D

bendun-

*benduntur.* Licebit ideoque febrem in genere ab aliis morbis distinguere per spasmum periphericum et pulsū, qui illum sequitur, celerem et frequentem. Quia tandem Logici praecipiunt, (praecipiunt vero recte) quod omnem definitiōnēm tot notae constantes ingredi debeant, quot opus est ad definitum ab aliis discernendum: sequitur iam ex iis, quae nunc modo prolata sunt, fieri omnino posse, vt febris in genere definitur per spasmum periphericum et pulsū qui illum insequitur, celerem ac frequentem; idque eo magis, quum haec definitio simul exhibeat notiones huius conditionis, vt, iisdem rite intellectis, inde facili opera deducere liceat complures alias mutationes, quae in febricitantibus prodire solent.

### §. XXV.

#### *Vsus practicus.*

Pertinent etiam spasmus periphericus eumque insequens pulsus celer ac frequens ad eas mutationes in corpore aegrotante, quae facile sub sensus cadunt. *Vnde* iam proposita in §. anteced. *definitio febris in genere, huius simul signa tibi commode suppeditare poterit.* Quodsi ad haec insuper accesserint ea, quae per ipsam febris continentis definitionem constant (§. V.), vna cum pulsus magnitudine ibidem deprehensa, tamquam effectu necessario ple-

plethorae, vt caussae febris eiusdem generis (§§. XII et XIII.): tunc etiam febris continentis huiusque caussae signa tibi exinde satis certo cognoscere licebit. Ut tandem ex his facile inueniri quoque possit methodus medendi febribus continentibus, iam iam redditura ad momenta sequentia.

I. *Plethorae per quam vehementer commotac, tamquam febrium continentium caussae (§. XIII.), cougruo modo obuiam eundum est.* Hinc proderit venam secare, et sanguinem successive euacuare usque ad pulsus mollem; praesertim, vbi impedimenta adsuerint, quo minus succedant naturae ipsius conamina, quae illa sponte hic suscipere solet ad producenda sanguinis profluua salutaria; vti eiusmodi impedimenta suboriri solent in corporibus adultioris aetatis et strictioris habitus corporis. *Hic etiam conueniet, diaphoresin excitare;* dum hac ratione imminutioni massae humorum, vti generatim bene consulitur, ita hoc quoque sponte saepius fieri obseruatur, idque cum exoptato febris euentu.

II. Ob aestum vero, qui in febribus continentibus admodum conspicuus esse solet, illarumque insignem pronitatem ad inflammationes concitandas, *omni studio cauendum erit, ne eiusmodi quid admittatur, per quod humorum massa magis exaestuari possit.* Hinc, praeter regimen vitae externum temperantis effectus, eiusdem quoque conditionis medicamenta esse debent, aegrotantibus offerenda. Quare hic magis conduceat usus subacidorum, nitroforum, bezoardicorum fixiorum, una cum infusis theiformibus.

D 2

III. *Opus*

III. *Opus etiam erit, vt vires febrentis conseruentur, magisque confirmantur; ne natura circa tempus criticum deficiat. Analeptica igitur hic commendanda erunt, sed omni vi humores exaestuandi priuata (numer. anteced.); exemplo iulapiorum aut potionum acidarum.*

IV. *Ne hoc quidem momentum in sanatione febrium continentium praeteruidendum erit. Hic nempe saepius accidere solet, vt graues quidam effectus congestionum sanguinalis ad caput oboriantur; exemplo cephalalgiae perquam acerbae, soporis profundi, vel delirii admiodum insignis. Necesse igitur erit, vt, horum incommodorum uno atque altero obseruato, congrua remedia tempestive adhibeantur ad huiusmodi effectus nocios salutari solutioni morbi dispellendos. Quo igitur loco proficuum erit epithemata cephalica discutientis effectus usurpare; emplastrum vesicatoria ad furas applicare; frictiones in partibus corporis inferioribus instituere; immo etiam, si imprimis alius obstipata fuerit, vt plerumque fieri solet, clystieres ano iniicere.*

V. *Febre tandem superata, eo iam dirigendum erit studium medentis, vt congruo usu rerum sex non naturalium atque aliorum remediorum excretiones naturales in ordinem decentrem redigantur; corpus debilitatum roboretur; usque dum ex signis apparentibus satis certo constiterit, firmae iam ac durabili sanitati redditum esse aegrum. Hoc enim efficere, artis salutaris est ac Medici, illam excentis, verus*

F I N I S.

VIRO

VIRO  
 NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**IO. FRANCISCO ALBERTO**  
**MOELLERO**  
 SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
 CAPESENTI  
 S. D.  
**D. ADAMVS NIETZKI.**

**I**nter complures alias conditiones, quae veri nominis Medico  
 inesse debent, non ultimo loco reponenda erit morborum co-  
 gnitio solida. Id enim omne esse videtur, quod a Medicis, in  
 societate humana viuentibus, requiritur, ut sanitatem amissam  
 iterum restituant. Tantum vero abest, ut idem certo fieri possit  
 absque morborum cognitione solida; ut potius plus damni ad vi-  
 tam aegrotantium saepius inde redeat, quando quid tentatur in  
 sanationibus morborum, non perspecta eorum natura. Laudo  
 igitur proboque institutum **TUVM, CANDIDATE DOCTISSIME,**  
 dum argumentum quoddam pathologicum ea occasione **TIBI** per-  
 tractandum sumpsiisti, qua **TE** iam oportet, iussu statutorum  
 academicorum specimen aliquod eruditionis medicae non solum  
 edere, sed illud quoque e cathedra publica defendere. Ita enim

laudabiliter commonistrare conaris, tecognitione morborum neutr  
 tiquam carere, ad illorum sanationem sufficiente. Praesertim  
 vero de ea Pathologorum doctrina bene mereri videris, quae ma  
 ximi momenti habenda est; siue ad illius usum ample patentem,  
 siue ad grauitatem hic respiciatur. Atque huius iam indolis est  
 sine dubio febrium theoria: cui in dissertatione TVA inaugurali  
 haud exiguum addidisti illustrationem; ibidem euoluturus signa  
 spasmī peripherici in febribus continentibus. Id quod etiam tam  
 praecclare conatus es perficere, ut dogmaticos veri nominis decet,  
 qui, teste GALENO, in method. med. libr. II. cap. V et VI. nec  
 (sicut vulgus medicorum facit) tyranni ritu imperant, iubent,  
 nuda afferunt verba, plus sibi credi postulant, quam qui cum de  
 monstracionum fide loquuntur; sed potius suadent, docent, demon  
 strationis fide confirmant. De quo eruditionis specimine et Do  
 CTORIS dignitate, in tecpropediem publice conferenda, ex animo  
 TIBI iam gratulor, precorque, ut honorifica ista status TVI muta  
 tio in patriae, TVI, TVORVMQVE maius ornamentum emolumen  
 tumque cedat! Quod tandem supererit: abs tecmaiores in mo  
 dum peto, ut me amare pergas, sicut haec tenus fecisti, certusque  
 etiam de me sis, me TVI numquam non fore studiofissimum.  
 Vale. Dab. in Acad. Frider. III. ante Cal. Iunii CCCCCLXV.

---

PRAE-

PRAENOBI LISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**MOELLER**  
 SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
 CAPESSENTI

S. D. P.

IOANNES NICOLAVS WEISSE R  
OPP.

**G**ratus atque iucundus admodum amor is, qui TE, VIR  
 PRAENOBI LISSIME atque DOCTISSIME,  
 in eam mentem impulit, ut pulcherrima opponentis sparta contra  
 dissertationem Tuam inaugura lem docte solideque scriptam me  
 ornares. Lubens eam et grato animo in me suscipio,  
 cum propter ipsam opportunam occasionem, meam Tibi ad  
 diutissimam mentem publice testatam faciendi, tum vero maxime,  
 quod aduersariis Tuis ad pugnam TEcum instituendam vocatis,  
 TE ipsum in eas vocatum iri partes, praeuideo, unde quantos in  
 arte

arte salutari feceris profectus, luculentius constabit. Gratulor ergo Tibi buncce Tuum diem non uno Tibi nomine perbonorificum. Gratulor summos in arte salutari honores, quos Tibi Illustris Medicorum Ordo hocce die conserrendos decreuit. Et ex intimo cordis affectu Tibi gratulor. Rebus Tuis tam feliciter et cum laude in bac Musarum sede peractis, in patriam reuertere sospes ac incolmis, ibique in eius ornamentum, multorum aegrotantium auxilium atque solamen, Tuorum denique gaudium atque splendorem viue nostoreos annos. Me vero, quo lucusque profecutus es amore, et in posterum prosequi pergas, oro TE atque obtestor. Vale. Dab. Halae Prid. Calend. Iunii

ciclocclxv.

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

PROMOTOR  
D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER

S. P. D.



Nibil, Candidate Dignissime, dignius, nibilque utilius a Te proponi potuit, quam pathologica mesenterii & pancreatis contemplatio; cum bisce in partibus fecunda plurimorum lateant semina. Quæ enim ab Asellio & Wirsungio nobis apertus demonstrata, quæque eorum labore emendata fuerunt, in curationibus ansam præbuerunt, caussas morborum profunde latitantes solerius indagandi, affectiones facilius explicandi & curationem promptius clariusque persiciendi. Mirifice itaque me delectauit argumentum, quod thematis inauguralis loco conflictui publico exponis, nunquam satis exburiendum. Hoc ipso autem labore ostendisti, veram & rationalem medendi methodum tam arte cum theoria contineri vinculo, ut agerrime separari queat, imo theoriam praxin ad solidiorem perducere rationem; omnem vero speculationem, quam subtilis etiam & ingeniosa sit, vanam sterilemque esse. Quam itaque proprio marte conscripsisti dissertationem, eandem quoque Te solum cum aduersu omnium masculorum defensurum, certissime auguror. Felicem igitur Te prædicto, qui omnem in Medicina, querationibus physico-mechanicis inititur, solide addiscenda adbibuisti diligentiam, Tibique non de egregiis tantum in arte nostra acquisitis profectibus, verum & de supremis in Medicina et Chirurgia, premii loco, a gratiose Ordine Medico decretis dignitatibus ex animo gratulor, nibil magis in votis habens, quam ut Propitium Numen Tuos in artis exercitio conatus omni benedictionum genere secundet, Teque saluum sospitemque in patriam reducat; quo Tua sub docta & rationali praxi felicem se prædicare possit. Vale.

VIRO  
PRAENOBIILLISSIMO DOCTISSIMO  
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM  
**CANDIDATO DIGNISSIMO**  
AMICO EX PAVCIS LECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES GVT SLEFF  
LIVONVS, M. C.

O P P O N E N S



M aximo cum gudio amplector occasionem publicis TIBI, AMICE FRAESTANT-  
TISSIME, indicandi litteris, quanti ego TUAM omni tempore existimauerim  
amicitiam. Quamvis vero modestia TUA, quæ in TE singularis est, prohibere  
videatur, quo minus TIBI panegyrin nunc dicam, atque in laudes TUAS,  
admirabili scientia promeritas, excurrat: tamen non contrarium TIBI fore arbitror, si  
illi fontes a me describantur, ex quibus TUAM hauiisti eruditioinem. Nam ita satis luculenter  
patefiet, TE neque præclaro ingenio caruissi, neque tempori, neque sumtibus, neque studio pe-  
percisse, neque aliud quid intermissee, quo opus est, ut debitam consequatur maturitatem cog-  
nitio doctrinæ medicæ. Duodecim anni sunt, quos partim in Academiis studiorum caussa,  
partim etiam aliis in locis exercenda præxæs medicæ gratia consumisti. Primum TE Jenam  
contulisti, atque in hac famigeratissima musarum sede celeberrimorum Doctorum, præcipue Il-  
lustr. b. m. HAMBERGERI scholas tam theoreticas quam practicas per quinquennium assiduus  
frequentasti. Tune temporis iam dignus eras summis in medicina honoribus, testimonio am-  
plissimæ facultatis Jenensis medicae. Ut vero TIBI met Ipsi magis satisfaceres, viribus  
TUIS in medicina practica parum confidens Halam petiisti, vtpote sedem Practicorum longe  
celeberrimam, vbi non solum in practicis maiores acquisiuiti profectus, sed & in theoreticis  
cognitionem TUAM mirifice amplificasti. Ad artis exercitia, propriamque experientiam ad-  
spiraturus Lipsiam TE contulisti, ibique per tres fere annos medicinam felicissimo cum successu  
fecisti. Sed perspectis iam nonnullis defectibus, in ampla praxi medica obviis, quos non nisi  
bene-

beneficio subtilioris Anatomiae supplendos putatas, cogitatio animum tuum rubet, Berolinum  
iter faciendi, ad audiendum ibidem magnum MECKELIUM, Anatomicorum facile principem.  
Atque ita desiderata quoque cognitione satis imbutus, Halam iterum redux me ante tres &  
quod excurrit annos studia mea inchoantem ibidem inuenisti. Ex quo tempore amicitia TUA  
me haud indignum existimans familiaritatem mecum contraxisti, mihiique frequentissimam occa-  
sionem dedisti ex doctissimis TUIS sermonibus egregios percipiendi fructus. TUAE ideoque  
priuari continuo familiaritatis vsu mihi admodum erat ingratum, dum e re TUA esse videbatur  
ob turbas adpropinquantes bellicas Hala discedere, Teque Seruestum conferre. Neque hic loco-  
rum in otio transegisti tempus, nam ibi exercitio artis salutaris permultis profuisti ægris.  
Auctus iam amplissima gloria atque existimatione parta TIBI ante strata ægrotantium, Halam  
rediisti, Doctoris dignitatem impetratus. Cum ista occasione publicum quoddam eruditionis  
documentum scripto aliquo edi debeat, utilissimum thema in dissertatione TUAE inaugurali per-  
tractare decreuisti, *morbos ex laeso mesenterio oriundos* euoluturus; ad id faciendum ductus  
frequentissimis obseruationibus, TIBI in præxi obuiis. Defensurus hanc præclare conscriptam  
dissertationem in me opponentis collocasti munus, nouo TUAE erga me amicitiae benevolen-  
tiæque documento. Quam opponentis spartam in me eo lubentius suscipio, quo certius, per-  
suasum habeo, fore, vt ex publica ista disputatione amplissimos percipiam fructus. Superuacu-  
neum præterea fore existimo, de Dissertationis TUAE (quamvis primas tantummodo contineat li-  
neas tractatus cuiusdam prolixioris eadem de materia a TE in posterum edendi) præstantia ver-  
ba facere, vbi iam ipsum opus suum satis laudat magistrum. Quapropter nihil amplius restat,  
quam vi TIBI bona verba dicam. Et sic TIBI, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, ex  
animo gratulor de egregio hoc publico eruditionis TUAE specimine, & de studiis TUIS felicissime  
ad finem perductis. Gratulor TIBI de summis in medicina honoribus, in TE solem-  
niter iam conferendis! Conseruet TE Deus T. O. M. per longam annorum seriem in columem  
sospitemque, TIBIque largiatur præmia pro tot laboribus merita! Fruaris quam diutissime  
Doctoris dignitate in ægrotantium solatium, in artis & patriæ ornamentum ac decus, TUUMQUE  
emolummentum! Quod tandem ad me adtinet, abs TE maiorem in modum peto, vt me & in  
posterum amicitiae TUAE habeas commendatissimum, atque de me persuasus sis, me in  
TE amando ornandoque nemini fore secundum. Vale! Dab. Halae ad Salam.

die XVI. Augusti. MDCCCLVIII.



V I R O

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO NEC NON EXPERIENTISSIMO,  
SVMMOS IN SCIENTIA MEDICA HONORES LEGITIME  
IMPETRATVRO:

D O M I N O

DOMINO FRANCISCO HENRICO  
ZIMMERMANNO,  
MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO,  
AMICO OMNIVM PRAESTANTISSIMO SVAVISSIMOQUE

\* \* \*  
S. D. P.

O P P O N E N S

IOANNES BERNARDVS HENRICVS GOEBEL,

HOERDA-MARC-GVESTPHAL. ACAD. FRIDER. ALVMN.





Amia hodie fortuito mihi praebita, qualemque grati erga TE animi testimoniūm publice edendi, magnopere delectatus, ambabus eandem atripio. Solidissima TVA in medicis aliisque, qua gaudes scientia, non tantum inter omnes, qui TE, jacentibus ipsis manus præfertim auxiliatrices præbendo & alioqui non habent nesciū, palam permanavit, sed & ex doctissima TVA dissertatione publici jam-jam fit juris. Cum hac perpetuō in TE coniunctam se præbere humanitatem livoremque nullo TE adire paſto, multos laudare testes, meum non arbitror. Nepotem ex fratre TVVM unicūm tantummodo in hoc volo citatum. Tres enim ante annos omnibus heic ardētibus flagrantibusque bello, Serueſtum TE contalisti, ibique à Marte remotus principia TVA medica cum illo communicando, ad academica illum reddidisti optissimum. Ipſe ego multa TVAE debens confuetudini & nesciens qui fiat, TE tanta erga me humanitate videre commotum, Opponentis ordinarii partes in me velle collocatas, ingentibus amplissimisque gratis TVVM nomen amicitiamque TVAM auro mihi cariorem publicis his prosequendo literis, id omnino opto, vt Summum Numen tacita quæ pro TE pectorē concepi vota, jubeat esse rata TE que in spem patriæ & familie splendidissime ut et in ægrotantium auxilium omnesque conatus TVOS propitius secundet. Vale mihiq[ue] de summis in Scientia medica honoribus legitime hodie impetrāndis TIBI, gratulabundo fave!

CORRIGENDA - p. 1-6. legas: suum loco summam. p. 24. l. penult. lege: abolentur. pro aboleantur

Ua 4235







DE  
SIGNO  
SPASMI PERIPHERICI  
IN FEBRIBVS CONTINENTIBVS

EX AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.  
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIO. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR.  
SODALI

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XXXI. MAII A. O. R. C<sup>1</sup>5<sup>1</sup>9<sup>6</sup> G<sup>1</sup>LXV.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES FRANCISCVS ALBERTVS MOELLER  
WARSTEINO - COLONIENSIS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.